



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XXIII. Quoniam non oportet lectores vel psalmistas orario vti, & sic legere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI ... tionum, & ad horam nonam & vesperam, oportet celebrari.

XIX.

Quoniam catechumenorum orationem separatim, & prius post tractatum Episcoporum oportet celebrari. Quibus egressis, orent etiam hi qui in pœnitentia sunt constituti; & post manus impositionem his quoque abscedentibus, tunc fideles orare debent. Quorum tres orationes fiant, vna quidem, (id est, prima) per silentium, secunda vero & tertia per vocis pronuntiationem. Et tunc demum osculo pacem dari debere. Et posteaquam presbyteri Episcopo pacem dederint, tunc etiam laicos dare. Et sic oblatio offeratur. Solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.

XX.

Quoniam non oportet diaconum sedere præfente presbytero, sed ex iussione presbyteri sedeat. Similiter autem honorificetur & diaconus a ministris inferioribus, & omnibus clericis.

XXI.

* diaconum. Quoniam non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium, quod Græci * diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica.

XXII.

Ministrum non oportet orario uti, nec ostia derelinquere.

XXIII.

Quoniam non oportet lectores aut psaltes orario uti, & sic legere aut psallere.